DE

PARTU PRAEMATURO ARTIFICIALI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. MAJI A. MDCCCL.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Carol. Henr. Augustus Witter

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

F. SALAND, med. et chir. Dr. et med. pract.
Ch. SEWENING, med. et chir. Dd.
G. WESSEL, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS B. SCHLESINGER.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES COLENDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

PROOEMIUM.

Quum ad impetrandos summos in medicina et chirurgia honores dissertationem inauguralem conscribere et majorum mos sacrosanctus et leges academicae me juberent, materiem adumbrandam desumere constitui, quam non e libris solis, sed etiam ex mea ipsius observatione et experientia possem haurire. Proinde animum ad partum praematurum artificialem appuli, cujus decursum et exitum in Instituto obstetricio Berolinensi sub auspiciis Illustriss. Busch observandi saepius opportunitatem nactus sum et qui praeterea descriptu haud indignus mihi videtur. Si quis mihi objiciat, eandem rem jam a viris clarissimis atque peritissimis bene fuseque esse expositam, adnotare li-

ceat, me haudquaquam illis cum viris certamen inire, sed optima quaeque ab iis prolata paucis complecti voluisse, ut, quicunque hasce pagellas legat, in iis plurima deprehendat collecta, quae amplioribus in libris magis dispersa inveniuntur.

Partus praematurus artificialis (Accouchement provoqué) illud artis auxilium appellatur, quo impellitur uterus, ut foetum ante legitimum partus terminum et perfectam corporis evolutionem, eo tamen tempore, quo vivendi facultas ei jam inest, excludat. Essentialiter ergo ab eo discrepat actu, qui Accouchement forcé vocatur, quippe qui illud artis adminiculum significet, quo, uteri ore adhuc clauso vel parum aperto, infans violenta orificii uterini dilatatione in prima aut secunda partus periodo, facta deinde versione in pedes, elicitur. Partus praematuri artificialis finis in eo est, ut partim propter ancipitem gravidae conditionem partus maturius perficiatur, partim ut infantis per angustiorem pelvim edendi vita servetur. Ad consequendum hunc finem varia adminicula commendata sunt, quorum tamen nullum aequiparari potest methodo a

Kiwisch, Professore Herbipolitano, propositae, id quod brevis comparatio nobis persuadebit. Magnas igitur gratias huic viro praestantissimo debemus, quod methodum excogitaverit, qua periculosissimae operationes, ut sectio caesarea, rariores redduntur. Priusquam vero hujus methodi dignitatem prae aliis exponamus, non alienum a re esse videtur, paucis verbis eam adumbrare, quum suspicari liceat, nullum fore medicum, qui plane eam ignoret. Haec nimirum agendi ratio in eo est, ut calidae embrocationes ad uterum applicentur, i. e. aquae radius validus ad os uteri perducatur, quo efficitur, ut partim organa sexualia molliora et ad partum opportuniora reddantur, partim, id quod gravissimum est, uterus ad contractiones incitetur.

Apparatus, quo Kiwisch utitur, e cista consistit aenea, pedum cubicorum decem spatium habente, quae cubitorum quatuor ac dimidiae altitudine affixa est parieti, commercium habens cum tubo ad pavimentum usque descendente. Inferior tubi pars elastica est, in media parte sipho exstat mobilis, pars elastica in apophysin desinit, quae tubi uterini formam prae se fert.

Totus apparatus eum habet finem, ut radius aquae validus et continuus ad os uteri deducatur. Eundem ad finem uti possumus commodiore sed aliquanto pretiosiore irrigatore uterino, ab Eguisier (Gaz. des Hopit. No. 82. J. 1844) invento, quippe qui machina pressoria ad continuam actionem impellatur, ubique possit collocari et generatim plus capacitatis habeat. Quod ad aquae temperiem pertinet, grad. 30—35 scal. Reaumur. adaequet; radius validus et satis crassus prosiliat, tubus usque ad os uteri porrigatur. Singulae injectiones per duodecim aut quindecim horae minutas continuo sustententur. Vulgaribus in casibus duae vel tres injectiones per diem sufficiunt, in gravioribus autem numerus earum adaugeatur. Utplurimum embrocatio quinquies aut sexies repetita sufficit, ut intra triduum aut quatriduum partus efficiatur. Adnotandum tamen est, hac parte varias offerri modificationes, quum semper ad longitudinem portionis vaginalis, ad indurationes ejus etc. respiciamus oporteat.

Quodsi methodum a Kiwisch propositam dijudicare et cum aliis, quas postea breviter apponam, comparare volumus, merito affirmari posse existimamus,

omnibus desideriis eam satisfacere, quibus, ut bona habeatur, satisfacere debeat. Primum enim embrocationibus calidis ad uterum applicatis praematurus parturitionis actus emollitione debita et amplificatione segmenti uteri inferioris blandissime praeparatur, quo fit, ut uterus naturali modo demittatur; deinde haec methodus quamque curationem praeparatoriam supervacuam reddit; tertio commodissime adhibetur gravidisque ne minimum quidem detrimenti infert, quoniam aquae calidae introitus nullam efficit dysphoriam; usque ad tempus, quo molimina ad partum accedunt, gravidae placide ambulare queunt. Quarto illa methodus nihil temporis consumit, quia singulae applicationes modo paucas horae minutas exigunt et quinquies repetitae plerumque sufficiunt. Quinto embrocationes ad quemque gradum intendi possunt, ita ut vel aqua calidior adhibeatur, aut singulae applicationes elongentur, aut brevioribus intervallis administrentur, quo fit, ut tempus, per quod adhibeatur illud adminiculum, exacte definiri queat. Sexto haec methodus nunquam organorum sexualium aut tunicarum ovi laesionem inducere potest, naturam igitur eo potissimum imitatur, quod

aucto humorum affluxu partes sexuales ad partus actum praeparat.

Ex relatis abunde patere arbitror, hancce operationem haudquaquam gravidarum organismum graviter offendere, sed naturali potius ratione partum introducere, ideoque omnibus aliis hucusque cognitis methodis praeferendam esse, quippe quarum singulae alia atque alia, etsi non plane eadem, incommoda afferant, id quod sequentia nobis persuadebunt.

Quod ad tunicarum ovi punctionem attinet, quem ad finem instrumento (Wassersprenger) a Busch aut Wenzel, vel instrumento (Stechsauger) a Ritgen et Kluge invento utimur, diffiteri nequimus, hanc agendi rationem, quam primum Angli, deinde etiam Germani administraverunt, et simplicissimam et certissimam esse, simulatque enim liquor amnii profluxit, semper molimina ad partum oriuntur. Oblivisci tamen haud oportet, non omnibus in casibus hanc methodum posse adhiberi, nam primiparis, quarum portio vaginalis longa et retrorsum versa, quarum os uterinum simul clausum est, aegerrime respondet, quia summis premitur difficultatibus; eadem perverso infantis situ vetatur, hic

enim plurimum interest, ut liquor amnii quam diutissime retineatur. Praeterea adnotandum est, tunicarum ovi punctionem sine praeparatoria curatione eventum prosperum raro sortiri, id quod funestae observationes docuerunt; detrimenta enim multis in casibus hanc operationem sequentia, saepe a viris eruditis disputata sunt, quo factum est, ut multi eam temere adhibendam dissuaderent aliamque in ejus locum substitui juberent, qua partes sexuales ad partum debito modo praepararentur. Inter praeparatorias curationes potissimum notenter oportet: balnea, remedia purgantia, secale cornutum, injectiones per vaginam, abdominis frictiones, electro-galvanismus, vaginae obturatio, per turundas, oris uterini dilatatio. Efficacissimae encheireses duae ultimo loco positae fuisse dicuntur, quippe quae solae nonnunquam ad consequendum finem sufficiant.

Quanquam haec methodus respectu simplicitatis, uti supra jam diximus, omnibus desideriis satisfacit, tamen varia ejus incommoda silentio praetermittenda non sunt. Huc pertinet, quod infans utero immediate arcteque circumstringitur, quod molimina, uteri ore

imperfecte evoluto, multo rapidius intenduntur et foetus continuo comprimitur, quod uteri os distrahitur et incarceratur; facile etiam fieri potest, ut partes infantis prolabantur et operationes obstetriciae, quibus opus est, difficiliores reddantur. Faventes punctioni tunicarum ovi conditiones offeruntur, si caput infantis praevium est, si portio vaginalis adaperta facile cedit, si pelvis mediocrem habet angustiam.

Punctio ovi in regione altiore, methodus nempe Meissneri, commendanda non est, primum enim os uteri apertum sit oportet, deinde acus triquetra tenuis et acuta facile in placentam foetalem, etiamsi a violentia abstinemus, penetrare potest.

Vaginae obturatio per turundas, a Schöller commendata, non solum maxime incerta et incommoda, sed etiam multis in casibus propter ingentem sensibilitatem, metritidem interdum vigentem et symptomata urgentia alia dissuadenda est.

Spongiae compressae inductio, quam Merriman, Kluge, v. Siebold commendant, nec non applicatio dilatatorii a Busch propositi, sine violentia quadam, aut si uteri os clausum, portio vaginalis nimis retror-

sum versa, vel emollita est, locum habere nequit. Eadem dicenda sunt de methodis a Schnakenberg et Cohen laudatis, quarum haec in eo est, ut inter uteri parietem et ovi tunicas semunciae duae, vel duae et dimidia liquoris injiciantur. Irritatio hoc modo effecta levior esse videtur, quam quae molimina ad partum inducere possit.

Electro-magnetismus, quod ad excitanda molimina attinet, varios praebuit eventus, observationes hac de re factae nondum certa axiomata nobis suppeditarunt, omnibus enim in casibus, quibus adhibebatur, alia jam adminicula, ut uteri embrocationes etc. in usum erant vocata, quare interrogare licet, quodnam remedium opem tulerit. Commendatus est galvanismus ad efficiendum partum praematurum artificialem a Schreiber (Nasse, Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. XIV. S. 57), adhibitus primum a Koeniger et Jacoby; laetissimas observationes Benj. Frank evulgavit, sed ipsae quidem ad casus pertinent, in quibus partus labor maxime jam viguit. Proinde hucusque admodum ambiguum est, utrum electricitas ad introducendum et absolvendum partum praematurum artificialem sufficiat,

ceterum vero gravidis minus grata est, quam calida embrocatio, de cujus administratione nulla adhuc mulier querelas edidit.

Methodus Hueteri, Marburgensis, in eo est, ut vesica animalis cujusdam mediocris, commodissime quidem canis, quae siphonis orichalcei ope claudi possit, in vaginam inducatur, tum decocto avenae excorticatae spisso refierciatur. Bis quotidie contenta evacuantur et instituta exploratione haec agendi ratio repetitur, donec molimina ad partum tam valida evadunt, ut continuata efficacitate non amplius opus sit. Haec quoque methodus calidis embrocationibus postponenda est, gravidis enim magnas infert molestias, quippe quae inter applicationem plerumque in lectulo detineri debeant; praeterea vesica saepe tantam exserit pressionem, ut mulieres vix sustineant dolores maximeque laetentur, si vesica per aliquot horas auferatur.

Quodsi denique remediorum pharmaceuticorum rationem habemus, ad efficiendum partum artificialem praematurum, quanquam molimina inter partum adaugeant, maxime incerta esse constat; ceterum curare oportet, ne doses largiores aut matri aut proli detrimenta inferant.

INDICATIO.

Summam partus praematuri artificialis indicationem pelvis angustia sistit, plerumque rhachitidis sequela, quae infantilem tenuit aetatem. Conjugatae amplitudo tamen certo constitui nequit, saepe enim opus est, ut, si diametrus $2\frac{3}{4}$—$3\frac{1}{2}$ pollices adaequet, operatio instituatur, non solum enim a pelvi, sed ab aliis etiam conditionibus hoc pendet. Ut vero hac de re aliquid definiatur, conjugatae diametrum inter pollices $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ positam exigere operationem existimant. Quum enim diametrus transversa infantis maturi tres pollices cum dimidio adaequet, fieri non potest, ut hic, si pelvis angusta sit, debito partus tempore vias sexuales permeare queat, quin et ipse et mater periclitetur. Tricesima graviditatis hebdomade diametrus transversa circiter $2\frac{1}{2}$ pollicum est et ad tricesimam sextam hebdomadem parum crescit, ita ut, si intra hoc tempus eveniat partus, infans evolvi non possit. His quidem rebus indicatur tempus, quo operationem administrari oporteat, nempe inter tricesimam atque tricesimam sextam hebdomadem; ante hebdomadem enim tricesimam pro-

les non satis vitalitatis habere solent, post tricesimam sextam autem cranii mutationes non amplius magni aestimandae sunt. Norma instituendae operationis, quod ad tempus pertinet, non absoluta quidem, sed probabilis tantum, si pelvis angustia simplex locum habet, haec fere est:

Si conjugatae diametrus 2″ 6‴ — 2″ 7‴ aequat, graviditatis hebdomade tricesima,
— — 2″ 8‴ — 2″ 9‴ trices. prima,
— — 2″ 10‴ — 2″ 11‴ trices. sec.
— — 3″ — — 3″ 1‴ trices. tertia,
— — 3″ 2‴ — 3″ 3‴ trices. quart.,
— — 3″ 4‴ — 3″ 5‴ trices. quint.,
— — 3″ 6″ — — tricesima sexta

partus praematurus arte administretur.

Haec norma inprimis ad primiparas spectat, apud quas, si conjugatae diametrus 2″ 6‴ — 2″ 11‴ aequat, semper operatio illa instituatur oportet, sin diametrus inter 3″ — 3″ 6″ variat, tum tantum administretur, cum aliae conditiones partum praegravantes, ut rapidum prolis incrementum, cranii soliditas, coarctatio universalis, magna pelvis inclinatio, locum habent.

Proinde singularibus in casibus, prout majores aut minores parturiendi difficultates cognoscuntur, a norma ita deflectendum est, ut modo prius, modo serius infans arte eliciatur, veruntamen terminus inter vicesimam nonam et tricesimam septimam graviditatis hebdomadem non relinquatur.

Indicatur deinde partus praematurus artificialis gravidarum morbis gravioribus aut dynamicis aut organicis, qui nulli medendi rationi cedunt et, si graviditas diutius persistat, tam matris quam prolis vitae periculum minitantur. Qui morbi saepe partu auferuntur, ut convulsiones, eclampsia, haemorrhagiae copiosae atque impetuosae, placenta praevia inductae, vomitus profusus continuus, prolapsus uteri, hydrops etc.

Tertium momentum, quo ad efficiendum partum praematurum invitamur, in eo cernitur, quod mulieres inveniuntur, quarum foetus sine ulla causa manifesta aliquot hebdomades ante debitum partus terminum emoritur, id quod et deficientibus infantis motibus et auscultatione cognoscitur. Hoc in casu tunc demum ad partum praematurum artificialem properare licet, cum apud unam candemque mulierem aliquoties hoc

evenit, nam his tantum sub conditionibus certa operationem illam administrandi indicatio offertur medico, quoniam in praxi privata haud quotidie occasio ei obtingit, gravidam auscultando explorarndi. Fingamus vero, hanc occasionem quotidie ei obtingere, tamen propter alia negotia non semper ea potest uti.

PROGNOSIS.

Quod ad matrem attinet, prognosin admodum faustam augurari licet, nullus enim hucusque innotuit casus, cui lethalis exitus supervenisset. Mors si accessit, non ipsa hac operatione, sed morbo serius adveniente inducebatur, qui mulierem quoque tentasset, si partus naturali modo esset absolutus. Quod quidem facillimum est intellectu, etenim embrocatio calida minime graviter organismum offendit, sed naturam imitatur, eo potissimum, quod humorum affluxum efficiendo partes sexuales ad partus actum praeparat. Alia praedictionis ratio est, si ad prolem servandam respicimus. Probe enim meditandum est, non sine difficultate dirimi posse, quo tempore infans debita gaudeat vitalitate, praeterea autem graviditatis hebdomadem certo

constituere, arduum esse. Quanquam multa prostant signa, tam externa quam interna, quibus tempus fere definiatur, tamen hoc cum evidentia probari non posse, unusquisque haud dubie intelligit. Deinde hactenus instrumento destituimur, quo pelvis diametrus accuratissime definiri possit. Porro quoque pensitare oportet, utrum partus rapidus an tardus, an cum singularibus operationibus conjunctus sit futurus, nec ne. Secundo in casu prognosis laetior affulget, quam in primo, faustior etiam, si infans parvus quam si magnus est.

Fingamus autem, tempus operationis legitime esse constitutum, pelvim exacte mensuratam nullaque obstare impedimenta, nonne unum superest momentum, quod ad prognosin gravissimum, nondum autem certo diremtum, quoniam methodus adhuc nova et exempla haud satis numerosa sunt, e quibus certum ratiocinium deducere possimus. Quaeritur nimirum, numne embrocatio in foetum vim damniferam exserat. Diffiteri certe nequimus, aliquam efficacitatem in foetum exseri, utrum vero perniciosam nec ne, medici inter se dissentiunt, quamobrem futuri temporis est, hoc decernere. K i-w i s c h, qui hac parte laetissimas observationes colle-

git, disertis verbis contendit, nihil efficacitatis perniciosae in foetum exseri. Quod ad me pertinet, hac de re certum judicium ferre nequeo, nam primo hujusmodi in casu, quem equidem observavi, summa cum probabilitate concludere oportebat, infantem, quum adhiberetur embrocatio, jam in eo esse, ut moreretur, in altero opus erat operatione, quae haud dubie vim perniciosam in foetus vitam exseruit; tertius tantum superest casus, quo fortasse embrocatio ad exstinguendam infantis vitam aliquantum contulit. Sub finem hujus opusculi duas observationas huc spectantes, quas colligendi opportunitas mihi oblata est, apponere liceat.

OBSERVATIO I.

Augusta F. viginti annos nata, primipara, statura parva, tres pedes parum excedente, habitu exquisite scrophuloso conspicua erat. Instituta exploratione tricesima secunda graviditatis hebdomas cognoscebatur et pelvis, adhibito Baudelocquii instrumento „Compas d'épaisseur", $5\frac{3}{4}''$, conjugata diagonalis $3\frac{1}{2}''$, conjugata igitur $2''\ 9'''$ — $3''$, inclinatio pelvis 50^0 exhibebat. Valetudo universa inter graviditatem bona

fuerat; ex bimestri fluor albus; mira brevitas portionis vaginalis, nominatim labii oris uterini anterioris, quod paene explanatum fuit. Die undecimo mens. Novembris a. 1849 sub horam matutinam nonam primum embrocatio 30° per decem horae minutas administrabatur, enemate antea adhibito; circa horam pomeridianam quintam embrocatio 32° per horae minutas quindecim repetebatur; puella libere ambulabat, cordis infantilis ictus alacer erat.

Die duodecimo mens. ejusdem alvus sua sponte bis secessit; sub horam nonam embrocatio 34° per horae quadrantem administrabatur. Portio vaginalis, propemodum explanata, aperiri coepit; vagina mollis fuit facileque cessit; puella sensum leviter trahentem in regione umbilicali blandasque horripilationes accusavit. Tempore pomeridiano et vespertino iterum embrocatio 34° per horae quadrantem adhibebatur. Somnus nocturnus tensionis dolorificae sensu, qui a lateribus in pelvim minorem porrigebatur, interceptus erat.

Die decimo tertio m. Novembr. sub horam matutinam nonam embrocatio 34° per horae quadrantem in usum vocabatur, quo facto ter dolores trahentes

accesserunt; os uteri apertum amplitudinem numismatis duorum — quatuor grossorum adaequabat; vesica constituebatur, pulsus foetalis non animadvertebatur. Vespere dolores trahentes crebriores et intensiores reddebantur, sed inferiore uteri parte limitabantur, dum manus uteri fundo imposita vix augescentem ejus duritiem deprehendere poterat. Dolores trahentes in inferiore uteri segmento aptissime cum abnormibus parturientium moliminibus comparare licebat, quae ab uteri ore ordientia oris uterini directionem sequuntur, itaque os illud non patefaciunt, sed patefactum rursus contrahunt. Postquam demum vomitus spontaneus bis accesserat, molimina regularia evolvebantur, quae partum introducebant, qui, decursum habens normalem, hora matutina tertia ac dimidia diei decimi quarti m. Novembris, ergo sexaginta sex et dimidiam horam post embrocationis applicationem, absolvebatur. Puer editus per duas horae minutas vagitum emisit, tum brachia aliquoties alacriter agitavit et substricto funiculo umbilicali exspiravit. Pondus ejus libras $3\frac{1}{8}$, longitudo pollices 14, capitis diametri 4″, $3\frac{1}{4}$″, 3″ aequabant. Corpus universum admodum macilentum, venter inflatus,

tactu durus atque tensus, ungues digitorum manuum pedumque perquam molles erant, testes vero in scrotum jam descenderant; lanugo non animadvertebatur. Instituta corporis sectione unum tantummodo mirum apparuit, insolita nempe hepatis inflati hyperaemia. Secundinarum ejectio sine ulla anomalia peragebatur.

Quodsi quaestionem proponimus, utrum methodus, qua partus praematurus artificialis efficiebatur, vitae infantilis interitum induxerit, nec ne, responsum certum hoc in casu edere nequimus, etenim triginta ante partum horas cordis ictus non amplius animadvertebatur et mater tantum raros levesque infantis motus, qui praeterito die alacerrimi fuerant, sentiebat. Haec omnia suspicari nos jubent, infantis mortem non amplius procul abfuisse, id quod etiam horripilationes periodicae et insolita portionis vaginalis brevitas argumentari videntur. Sectio nihil detrimenti commonstravit, quod embrocatio infanti attulerit, nominatim venae cerebrales, id quod pluribus in casibus observatum est, minime insolitam hyperaemiam obtulerunt.

OBSERVATIO II.

Carolina F. unum et triginta annos nata, ter-

tium praegnans, corpore valido et concinno insigniebat. Instituta exploratione, conjugata circiter 3″ apparebat, promontorium aliquanto sinistrorsum spectans digito poterat attingi, os sacrum magnopere inflexum erat. Os uteri medium fere locum inter cordis scrobiculum et umbilicum tenebat, umbilicus explanatus, ventris integumenta supra umbilicum laxa, vagina haud minus relaxata, ampla, portio vaginalis mollis, explanata, alte scissa, os uteri apertum, nulla infantis pars praevia inveniebatur. Valetudo universa satis bona erat. Mulier sana et valida, ut videbatur, primum ante annos octo infantem maturum sanum facili partu ediderat, nullum postea morbum passa erat alteraque vice infantem octimestrem pepererat. Quae quum nota essent atque tertia graviditas intrasset, propter conjugatae diametrum 3″ haud alienum existimabatur, partum praematurum artificialem instituere. Graviditas ejus mensis noni finem assecuta putabatur. Quum consilium esset captum, partum praematurum artificialem embrocationibus efficiendi, die vicesimo quinto et sexto m. Aprilis binae embrocationes, vicesimo septimo et octavo ejusd. m. die quaternae, die vicesimo nono et tricesimo Aprilis, nec non

primo Maji die ternae, omnes quidem graduum 34 R.; per horae minutas viginti administrabantur, quibus praeter magnum languorem et debilitationem nulla phaenomena successerunt. Nocte demum, quae inter primum et secundum Maji diem intercessit, postquam una et viginti embrocationes intra septem dies adhibitae erant, dolor trahens transitorius juxta columnae vertebralis decursum intravit, die autem Maji secundo, hora matutina octava, quum vicesima secunda embrocatio in usum esset vocata, molimina ad partum exquisita apparuerunt. Mulier, ut jam dixi, maxime labefacta erat; prima molimina ingentibus horroribus, per horae quadrantem circiter continentibus, stipabantur. Simul magna liquoris amnii spurii copia vehementibus cum doloribus e vagina prorupit. Adhibito clysmate datoque infusi florum Chamomillae cucullo, mulier in lecto jam apparato collocabatur. Quum infans situm tenere videretur obliquum, ita ut nates retrorsum et sursum, caput antrorsum magisque dextrorsum spectarent, mulier in dextrum latus decumbere jubebatur. Capitis situs initio determinari non potuit, quoniam caput diametrum transversam introitus pelvis intravit et in media demum pelvi situm

occipitalem secundum obtinuit. Altera partus periodus intra tres horas atque tres quadrantes absolvebatur; post ruptam vesicam elapso horae quadrante, infans hora meridiana duodecima in lucem edebatur. In quinta partus periodo ante secundinarum expulsionem copiosa haemorrhagia, haud dubie ab uteri plethora pendens, quam calidae embrocationes induxerant, exorta est; duae circiter sanguinis librae effluxerunt. Aquae frigidae injectiones mox haemorrhagiam inhibuerunt; providentiae causa secale cornutum imperabatar. Infans editus, sexus sequioris, pondus librarum 5½, longitudinem pollicum 17¾, diametros çapitis 5½, 4, 3, 3¾, colorem cutis atro coeruleum habuit; ungues molles, nasus et auriculae perfecte evolutae, vernice caseosa quasi oblinitae fuerunt. Propter asphycticam infantis conditionem cochlear majus sanguinis per funiculum umbilicalem emittebatur, tum balneum administrabatur. Quanquam infans aliquantum reficiebatur, tamen in pristinam conditionem mox recidit et vitae propemodum expers apparuit. Ut in vitam revocaretur, per tres horae quadrantes multa tentabantur: corpus perfricabatur et per aërem agitabatur, balnea calida

et frigida vicissim adhibebantur, clysma ex aqua frigida applicabatur, aether instillabatur cuti, palatum penna anserina irritabatur. Quae quum bene cessissent, infans tela gossypina probe involuta ad lectulum deferebatur, attamen post duodecim horas, nempe sub mediam noctem proximam, vita decessit.

Corpus infantis statim post mortem colorem coeruleum aequabilem obtulit et usque ad sectionem, quae horas triginta quatuor post obitum instituebatur, retinuit. Organa corporis interiora nullam exhibuerunt mutationem essentialem, pulmones tamen admodum hyperaemici fuerunt et nonnulla tantum eorum loca respiraverant, major eorum pars in aquam immissa fundum petiit. In peripheria lobi inferioris pulmonis dextri extrorsum infarctio apoplectica, magnitudine nucis avellanae, inveniebatur. Quod ad cor attinet, apertum erat foramen ovale, apertus ductus arteriosus Botalli multoque sanguine impletus; sanguis in tota thoracis cavitate fusco niger apparuit; reliqua viscera nihil mutationis exhibuerunt. Infans imperfecta respiratione et sanguinis oxydatione, quas apoplexia subsequebatur, mortem occubuisse videtur.

Puerperii tempus sine ulla perturbatione praeteriit; mammae, quae primis post partum diebus tensae et dolorificae fuerunt, oleo perfricabantur et tela gossypina involvebantur, praeterea derivantia ad tubum intestinalem imperabantur.

Adnotandum denique est, tardum embrocationum effectum fortasse in eo positum fuisse, quod aquae radius initio tantum tenuissimus prosiluerit et ultimo demum biduo calami scriptorii crassitiem impetraverit.

LITERATURA.

S. A. Merriman, Synopsis of the various kinds of difficult parturition with practical remarks on the management of Labours. Lond. 1814. 8.

Th. Denman, An introduction to the practice of midwifery. Lond. 1816. 8.

A. J. Wenzel, Allgemeine Betrachtungen über die künstliche Frühgeburt. Mainz 1818. 4.

J. Marxen, De partu praematuro artificiali. Wil. 1820. 4.

F. Reisinger, Die künstliche Frühgeburt als ein wichtiges Mittel i. d. Entbindungsanstalt. Augsb. 1820. 8.

J. D'Outrepont, Abhandlungen und Beiträge geburtshülfl. Inhalts. Th. I. Würzburg 1822. 8.

A. Preller, De partu praematuro arte effecto. Berol. 1823.

J. F. Piringer, Tractatus de partu praematuro artificiali. Viennae 1826.

Ferrario, Saggio di osservazioni clin. sul parto precoce artific. Milan. 1829. 8.

Schnakenberg, De partu praematuro artificiali. Marburgi Cattorum 1831.

C. Mueller, Ueber die künstl. Frühgeb. Würzb. 1837. 8.

E. L. Schlippan, Ueb. d. künstl. Frühgeb. Würzb. 1831. 8.

J. A. Stoltz, Mémoires et observations sur la provocation de l'accouchement prématuré. Strasb. 1835. 8.

G. J. Daniel, De nova partus praematuri arte legitime provocandi methodo. Marb. Catt. 1843. 8. (Hüter)

M. Lewig, De partu praemat. artific. Berol. 1845. 8.

E. C. J. de Siebold, Zur Lehre von der künstlichen Frühgeburt. Goetting. 1842. 4.

J. V. Schoeller, Die künstliche Frühgeburt bewirkt durch den Tampon. Berol. 1842. 8.

Kiwisch, Ritter v. Rotterau, Beiträge zur Geburtskunde. 1. Abtheil. Würzburg 1846. S. 114. 2. Abtheilung. Würzburg 1848. S. 1.

VITA.

Carolus Henricus Augustus Witter natus sum die II. m. Jul. A. MDCCCXXVI Wertherae, Guestphaliae oppido, parentibus Henrico et Guilelma, e gente Ebeling, quos adhuc vivos et salvos pio animo veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis domi instructus, unde doct. Speckmann, viro ornatissimo, praeceptori carissimo, permulta debeo, Gymnasium Bielefeldense, quod Directoris Dr. Caroli Schmidt sub auspiciis floret, per annos quinque frequentavi. Maturitatis testimonium paschali tempore A. 1848 nactus Goettingae, medicinae operam daturus ab Ill. Ritter, t. t. rectore magnifico, civium academicorum numero adscriptus sum. Ibidem per duo semestria interfui hisce scholis:

Ill. Langenbeck de osteologia et syndesmologia, de anatomia, de arte cadavera rite secandi; Ill. Woehler de chemia anorganica et organica; Ill. Conradi de encyclopaedia medica; Ill. Berthold de zoologia; Ill. Bartling de botanice.

His studiis peractis, me contuli ad almam universitatem Berolinensem et Rectore magnifico Ill. Boeckh, Decano spectatissimo Ill. Mueller inter medicinae studiosos receptus per triennium praelectiones hasce frequentavi:

Ill. Mueller de physiologia; Ill. Schulz de bo-

tanice, de homoeopathia et allopathia; Ill. Schlemm de anatomia organorum sensuum; Ill. Dove de physice; Ill. Gabler de logice et metaphysice, de psychologia; Ill. Mitscherlich de materia medica; Ill. Juengken de chirurgia generali et speciali; Ill. Rose de geognosia; Ill. Romberg de pathologia et therapia speciali; Exp. Simon de pathologia et therapia morborum cutis; Exp. Schoeller de arte obstetricia, adjunctis institutionibus ad operationes obstetricias; Cel. Boehm de diagnostice chirurgica, de aciurgia, qui simul dux mihi fuit in operationlbus in corporibus mortuis factitandis; Exp. Virchow de anatomia pathologica; Exp. Ebert de auscultatione et percussione, de infantum morbis; Ill. Casper de medicina forensi.

Praeterea in exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis duces mihi fuerunt: Ill. Juengken, Romberg, Wolff, Bussch, Angelstein.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quas possum maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Omnia graviditatis signa externa seorsim spectata fallacia.
2. Sine auscultatione et percussione nulla morborum pulmonum diagnosis certa.
3. Incisio optima methodus, qua hydrocele radicitus sanatur.
4. Curatio post operationem quamque chirurgicam gravior ipsa operatione.
5. Morbus quo plura habet remedia, eo magis nobis incognitus.